



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Repetitio Clem. I. Ut Clericorum De Officio Ordinarii

Aufréri, Étienne

Leodii, 1702

6. Declaratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63069](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63069)

6. Declaratio.

Sextò, declar. quod non solum habet locum dicta regula mandante, sed etiam in eo qui dolo induxit alium ad percutiendum, si talis sit dolus qui comparatur mandato vel consilio, puta quia dixit: facere mihi singularem gratiam, vel ei vellem semper bonum, qui percuteret, quoniam si ex hoc sequatur percussio, erit excommunicatus, ut in *præallega. cap. mulieres*, unde refert Bart, in *l. si quis mihi bona. §. iussum ff. de acquiren. heredit.* quod dominus verberatus qui dixit coram famulis suis, nisi aliud de tali audiero, ero male contentus propter quod famulus interfecit percussorem, fuit punitus ipse dominus de homicidio, unde Sicul. in *cap. ex litteris de exces. præla.* dicit quod non refert, an directè vel indirectè aliquid consulatur, ut in *dicto cap. ex litteris.* & facit, *l. certum ff. si certum petatur*, & *l. cum quid est iul.* Et quod no, Bal, Ange, Rapha, & Imo. in *l. quid ergo §. penult. ff. de leg. i.* Qui volunt, quod instigans & sollicitans aliquem ut percutiat, sit excommunicatus, si sequatur percussio,

Septimo declara dictam regulam non solum habere locum in cooperante auxilio vel consilio, imo etiam in prohibere valente & non obviante ne verberetur clericus, ut in *cap. quanta de sen. excom.* Quod locum habet secundum doctores in eo sub cuius potestate est verberans. Sed etiam in alijs qui non habent ex officio si non prohibent dolose, similiter secundum Doctores sunt excommunicati. Si vero hoc non facit dolose, sed quia non vult se immiscere tumultibus vel ex timore, vel ex negligentia non prohibent; tunc secundū Doct, præsertim Io, An, non erit excōmunicatus, quia in hunc vel alium

alium canonem nullus incidit nisi sit in dolo *Ar. ff. de adul. l. penul. ff. de fidei. l. 1. & traditur Sicul. in alle. cap. quanto.* Et ibi vide eum, an præsumatur dolus, &c.

8. *Declaratio.*

Regulam sæpè dictam etiam locum habere in clerico, qui voluntariè subijcit se verberibus, nam manus iniiciens violentas in talem est excommunicatus, & clericus venit excommunicandus, ut *in cap. contingit. de sent. excom.*

Et idem est in clerico se ipsum percutiente temerariè; nam talis excommunicatus, quia privilegium est concessum favore ordinis clericalis, ut ibidem, & quia nemo est dominus membrorum suorum, *l. liber. homo. ff. ad l. aquil. & cap. si non licet 23. question. 5.* ita concludunt ibid. Archi. & Sicul, & Doctores *in alleg. cap. contingit.*

A D D E.

Hoc privilegium clerici ex cap. Si quis sua dente, non habet locum in percutiente uxorem clerici etiam si sit legitima, ea ratione; quod in dispositione panali non fiat extensio. Tiraquellus num. 91. gloss. 2. de legibus communalibus. Matth. Boyss D.

Fallentia. 12.

Fallit autem supradicta regula, si quis clericum percutiat levitate jocosa non ex odio vel inimicitia, vel indignatione, ut *in cap. 1. de sent. excommunicat.*

Secundò fallit, quando causam correctionis magister scholarum clericum vel intuitu disciplinae percussit, quia non est excommunicatus.